Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36641
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

tes non habent. Supra aliquantulum iam diximus quomodo illic ubi deus est omnia in omnibus aliquid proprium esse possit alicui, quod omnibus commune non sit. Hic quoque omnino non tacuit auctor quomodo intelligendum sit in eo quod ait habundantius habent. In hoc igitur proprietas intelligenda est quod superioribus convenit, inferioribus non convenit, quod superiores habundantius habent quedam que inferiores habent. inferiores vero habundantius non habent quedam que superiores habent. Quid enim tam magnum potest esse ubi quod in communione universorum non transeat. ubi caritas communis est que maior omnibus est. Ergo omnia sunt omnium. Sed hoc solum ubi proprium est quod habundantius alicui est quod omnibus non est. quia superiores quidem virtutes inferiorum universaliter et habundantius habent. inferiores autem non eque virtutes superiorum habent universaliter, id est secundum omnem plenitudinem illuminationibus divinis tamen non particulariter primo iniceas apparentibus. Non iniceas primo apparentibus sed primo particularitas. Nam in alias, id est in superiores prius apparent universaliter, et inde in eas que post ipsas primas proportionaliter hoc est secundum portionem non secundum omnem plenitudinem eis distribuuntur. Titulus xii capituli est. quare et homines ierarchie angeli vocantur. Et sensus est quare illi qui sunt ierarchie, id est sacri principes et homines sive inter homines. sicut sunt summi pontifices. vel quilibet sacerdotes et alii ministri ubi dicitur. quare illi angeli vocantur cum dictum sit supra quod inferiores sic superiorum proprietates non participant. ita et nomina assumere non debent. Si enim ordo angelorum qui inferior est celestibus virtutibus; eorum nomen ipsarum et proprietatem earum participare non potest. nec homines qui indubitanter angelis inferiores sunt nomen eorum et ipsorum proprietatem usurpare possunt. Sed hec questio in eo solvitur quod supra diximus quia dona gratie spiritualis que in communione omnium transeunt. appellationem quoque in participationem universorum adducunt. ut quis quidem singularitate in eo quod per excellentiam a quibusdam possidetur discretam appellationem faciat, in eo tamen quod et aliquo modo communia sunt nomina quoque aliqua

Et exigentiam causarum ad communem appellationem deducunt.

QVERITVR AVTEM ET HOC INTELLIGIBIlium eloquiorum studiose intuentibus. A studiose intuentibus id est a studiosis pectoribus intelligibilium eloquiorum. vel divinorum eloquiorum que sunt intelligibilia id est spiritualia et profunda et de rebus intelligibilibus facta. Queritur dico hoc scilicet quare homines et plane alii sic angeli vocantur. Quare autem hoc queratur ratione subiungit. Sicut ultima id est inferiores ordines non sicut